

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Dispvtatio Physico-Medica, De Edentivm Bibentivmqve Sitv, Speciatim An Bibere  
Stando, An Condvcat Magis Sedendo? : Qvam Rectore ...Domino Friderico, Duce  
Ac Principe Hereditario Megapolensi ...**

Rostochii: Typis I. I. Adleri, [1752]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002290449>

Druck    Freier  Zugang



RU med. 31.Aug. 1752

Handtwig, Gustav Christ.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1002290449/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002290449/phys_0002)

DFG





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1002290449/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002290449/phys_0004)

DFG

DISPVVTATIO PHYSICO-MEDICA,  
DE  
EDENTIVM BIBENTIVMQVE SITV,  
S P E C I A T I M  
**A N B I B E R E S T A N D O,**  
AN CONDVCAT MAGIS  
**S E D E N D O ?**

---

QVAM  
RECTORE, ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO,**  
DVCE AC PRINCIPE  
HEREDITARIO MEGAPOLENSI,  
PRINCIPÆ VANDALORVM, SVERINI ET RACEBURGI,  
COMITE ITEM SVERINENSI,  
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE  
DOMINO,  
PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.

---

P R A E S I D E  
**GVST. CHRIST. HANDTWIGIO,**

MED. DOCT. AC PROF. DVC. P. O.  
FACVLATATIS SVAE HODIE DECANO,  
ET SERENISS. PRINCIP. CONSIL. AVLIC,  
AO. MDCCCLII. D. XXXI. AVGVST.  
PVBLICAE ERVDITORVM CENSVRAE  
S V B I I C I T

**TOBIAS GODOFREDVS ZEISSEr,**  
WEISSENBURGO. NORICVS, MED. STVD.

---

ROSTOCHII,  
TYPIS I. I. ADLERİ, SEREN, DVCIS AVL. & ACAD. TYPOG.



DISTRIBUTIO PHYSICO MEDICO  
EDITIONUM BIBLIOMATICA SITA  
AN BIBLIE STANDO  
SE DENDO

DAE  
RECUTORI VEVENSEM MGENITCENTIASIMO  
SERENISSIMO PRINCIPRE UC DOMINO  
DOMINO FRIDERICO  
DAE AC PRINCIPI  
HEREDITARIO MEDIOLENSI  
PRINCIPAE AVNGALORVM, SARMI ET RACERARVI  
COMITE ITEM SARVINDIAE  
TERRARVM POSTOCHII ET STARVARDIAE  
DOMINO  
PRINCIPE UC DOMINO NOstro CLEMENSIMO

EST. CHRIST. HANDEMIGO

MED. DOCT. AC PROL. DAC. P.O.  
FACULTATIS SAVI HODIE DECANO,  
ET SERVANS PRINCIP. CONSILI. AULIC  
AD. MDCCCLXV. LXXXV. ANNO  
LADIFICE RADITORVM CENSARIE

TOBIAS GODFREDS ZEISER

MEISTERNAEGD. NORICAS, MED. STAD.

ROSTOCHII  
anno 1750 ADIERI, SEREN DACIS ALI. & VGD. JUNO





P R A E S E S  
A D L E C T O R E M!

**Q**uinquennium fere est elapsum , ex quo  
Præside me atque Brabeuta , Inaugura-  
lem suam Dissertationem de situ corporis tum-  
fani tum aegroti observanda quaedam conti-  
nentem edidit ac defendit *Vir Experientiss.*  
*Dnus. Dr. IOHANNES B V M P Heida-*  
*Ditmarsus.*

*Nondum tamen observare nobis licuit , no-*  
*bilissimam banc , Medico & theoretico & practico*  
*dignissimam , hominumque myriadi , sanis sal-*  
*tem ad evitanda incommoda futura morbosque*  
*ingentes ; aegrotantibus ad depellenda debel-*  
*landaque etiam iam praesentia & ad faci-*  
*liorem medicationem , apprime proficuam , imo*

*A 2    neces-*

necessariam saepe materiam atque doctrinam,  
quod in votis erat, ulterius interea & pro di-  
gnitate esse pertractatam.

Unicum innotuit nobis huc faciens scri-  
ptum Quedlinburgi Anno praesenti 1752 plag.  
unica & quod excurrit sub Titulo: Johann Chri-  
stian Gerhard Knoll, der Arznei-Gelahrheit  
Doktors und Practici Gedanken von der Lage  
der Kranken in einem Sendschreiben typis ex-  
cussum.

Laudem meretur omnino Vir hicce Expe-  
rientiss. eo, quod in rei literariae, artis specia-  
tim salutaris exoptatissimum incrementum aegro-  
tantium in primis commodum certissimum & emo-  
lumentum, neglectam hanc a Medicis pluribus  
saepe nimis doctrinam, sepositis praejudiciis ho-  
rum vulgaribus, scopo optimo publice post  
Boerhavium atque Hoffmannum, medicorum  
inter Principes (confer. Dissert. nostra prior.)  
aliosque quosdam Eruditissimos Viros, commen-  
dare instituerit non tantum verbis: „Ein Arzt  
„soll die verlorne Gesundheit wieder herstellen.  
„Dahero hat er nötig, alle diejenigen Hulfsmittel  
„anzuwenden, die zu Wiederherstellung derselben  
„notwendig. Viele von diesen Gelehrten halten  
„die

❀❀❀

„die Verordnung der Arzneimittel vor hinläng-  
lich. Einige wollen den Gebrauch der Diaeteti-  
schen Mittel vor überflüssig erklären. Wenige  
bekümmern sich um die Lage des Patienten. Es  
ist der Arzneiwissenschaft eben so wenig nachtei-  
lig, als es einigen Ärzten nicht prächtig genug zu  
seyn scheinet, wann man durch die Positur des  
Krankens die Krankheit heben, oder zum wenig-  
sten mindern wil. Die Vorurteile sind über-  
haupt von keinen Nutzen, und wenn sie in den Kö-  
pfen der Ärzte stecken, so empfinden die Patien-  
ten davon allemahl die traurigen Wirkungen.  
Wo mehrere Mittel und Wege sind, die zugleich  
vernünftig, da muß man sich nicht nach den her-  
gebrachten Gewohnheiten richten. Die gewisse  
Lage gewisser Kranken ist zuweilen ein Mittel die  
Krankheit mit zu heben, ja sehr öfters ist sie ver-  
mögend die Krankheit ausnehmend zu lindern.  
Diejenigen haben nicht Ursach böse auf mich zu  
werden, welchen dieser Rath heilsam vorkommen  
wird. Deswegen folget nicht, daß der Medicus  
das Beste machen, oder daß er gar eine Warts-  
frau abgeben müsse. Der Eigensinn ist nur Schuld  
daran, daß man den Kranken bisweilen eine ge-  
wisse Lage zu bestimmen, vor unnöthig hält.

A 3

„Wann

\* \* \* \* \*

„Wenn dieses sich also verhält, so fallen vielleicht  
„die Wundercuren gar weg. Es wird sich in den  
„folgenden zeigen, ob ich recht oder unrecht habe.  
„Ich bediene mich der Freyheit, die allen Arzenei-  
„gelehrten zukommt, zu behaupten, was einem  
„Vernunft und Erfahrung an die Hand giebet.  
„Ich dringe keinen meine Meynung auf. Meine  
„Kräfte sind nicht zureichend, den Arzten die Vor-  
„urteile zu benehmen. Ich lasse mich begnügen,  
„wann ich als ein Prakticus der Arzneigelertheit  
„Nuzzen verschaffe. Dieses ist alles was ich ver-  
„langen kan, und woraus ich mir ein grosses Ver-  
„gnügen mache, wenn mein Unternehmen nicht  
„ohne Nuzzen ist;“ *Verum etiam commendatione apoloquiaque ista haud contentus, quod laborem sibi sumserit, doctrinae hujus utilitatem adductis casibus re demonstrare ipsa.*

*Cum vero pro ratione scopi epistolici, sin-  
gula brevius & strictim ab Eodem notata po-  
tius sint, quam plenius pertractata, cum etiam  
porro casus illius, quem enodandum nunc nobis  
sumimus, ne verbulo meminerit quidem; ulte-  
rior & plenior dictae doctrinac integracae per-  
tractatio systematica adhucdum manet in desi-  
deratis.*

*Itaque*

*Itaque, cum laudatissimo consilio placuerit  
viro juveni Nobilissimo ac Doctissimo Tobia Go-  
dofredo Zeisser Weissenburgo - Norico Medi-  
cinae Cultori solertissimo, post nuperrime,  
Praeside Facultatis Med. & Rev. Collegii Pro-  
fessorum Ducalium Seniore gravissimo, Collega  
nstro aestumatissimo, Dno. Georgio Christo-  
phoro Dethardingio de Medico Temerario, de-  
fensam dissertationem, nostro quoque sub Prac-  
sidio Respondendo publice, Commilitonibus, A-  
cademiae & Patronis denuo se dare probatum;*

*Thema dissertationis, sepositis aliis, hac  
vice esse voluimus  
edentium, bibentiumque Situm;  
speciatim,  
an Bibere stando, an conducat magis sedendo?*

*Quae super sunt reliqua, in temporis & cir-  
cumstantiarum opportunitatem qua studium no-  
strum, reservantes.*



§. I.



## §. I.

 Variant experientia teste, unico eodemque stemmate quamvis prognatorum hominum, ingenium atque indoles, vivendi ratio, consuetudo atque mores, vario nec unico modo; five individua, quorum intuitu vetus adhuc valet proverbium: Quot capita tot sensus! respiciamus, five spectemus individuorum quandam collectionem aut societatem, Nationis vel alio quodam titulo obvenientem.

## §. 2.

Variant in Exemplo, circa ritum atque situm in adsumendis five esculentis five potulentis integrae etiam passim Nationes, non individua tantum atque sola, eademque non ab invicem longae remotae tantum, verum & proximae sibi ac confines. Quid quod? eadem interdum gens avitos linquendo mores, novos recipiat non raro & introducat.

## §. 3.

Veteres *Hebraeos*, cultissimam gentem *sedentes* prandisse olim, saltem eorundem quosdam, clarum fieri nobis videtur ex rebus Saulem inter & Davidem gestis, Sam. XX. 24. Und da der Neu Mond kam, sagte sich der König zu Tische zu essen. Da sich aber der König gesetzt hatte : : : Abner aber setzte sich an die Seite Sauls, aliisque locis pluribus. Postmodum accubitus placuit atque invaluit. Graeci quoque priscis tem-

temporibus ad mensas *accumbabant* non, sed *sedebant*; at postea & recentius *sedebant* non, sed *accumbabant*, fidem faciente inter alios A THEN AE O in *Deipnosophisticis*. Apud *Romanos*, *militibus* in usu fuisse perhibetur, *stantibus* capere cibum, coeteros non minus primum *asse-disse* mensae, postea & Graecia devicta luxuria magis litantes ad morem horum itidem *accubuisse*, quod tamen de *maribus* potissimum intelligendum.

## §. 4.

Egregius enim *huc faciens locus extat apud ISODORVM*, Orig. Lib. II. Cap. II. scribentem: “*SEDES dicta*, quod *apud veteres Romanos non erat usus accumbendi*. Unde et **CONSEDERE dicebantur**. Postea ut VARRO ait de vita *Populi Romani*, *virи discumbere coeperunt*, mulieres *sedev-  
runt*, quia turpis *vitus est in muliere accubitus*.,, Ita scili-  
cet erat in regula, cui non obstant exempla amantium  
praesertim, conjugum, scortantium. Unde apud S V E-  
TONIVM in CALIGVLA. “*Cum omnibus sororibus suis  
stupri consuetudinem fecit*, plenoque convivio singulas infra-  
se vicissim collocabat, uxore supra cubante.,, Fiebat au-  
tem accubitus in latus sinistrum.

## §. 5.

Fuisse deprehenduntur inter accumbendi ritum servantes, qui initio coenae *proni in ventrem decubuerunt*, pulvinis pectoribus suppositis, quo utraque manus ad vescendum esset liberior, procedente autem tempore in cubitum se *reposuerint*, aut si loqui nollent, *supini* prorsus jacebant; observante ex PLVTARCHO in Antiquit. suis Graecis, IOH. PHIL. PFEIFFERO, qui cum reliquis an-

B

tiqui

tiqui tatum Graecarum Romanarumque scriptoribus conferri poterit ulterius. Nobis adducta modo pro illo, quem intendimus, sufficient scopo. Tantum adhuc notamus, in Italia accumbendi ritu diu jam rejecto, sessio- nem denuo invaluisse, quod idem et de aliis quibusdam nationibus observandum venit.

§. 6.

Turcarum mores ita depinguntur apud LONICE-  
RVM in Chronicor. Turcic. Lib. II. "Cum manducandum  
est, subjiciunt floreas, quas Hactjer vocant, deinde inster-  
nunt tapetia aut pulvinaria. Alii in nuda humo discumbunt.  
Mensa illorum Tropbra dicta, ex corio fit, et explicatur at-  
que contrabitur ut marsupium. Non ASSE DENT nostra-  
tum more, nec DISCVMBVNT veterum ritu, ut cubito  
innitantur, sed DECUS SATIM pedibus inter se compli-  
catis more sartorum. Raptim comedunt et magno silentio.  
Sedata fame colloquia miscere incipiunt. „ Habent hunc  
Situm cum aliis multis Asiae atque Africæ incolis imo  
aliis etiam hodie communem. Refertetenim de Lappo-  
nibus JOH. SCHEFFERVS Cap. XVIII. "Ubi cunque autem  
cibum capiunt, considerare solent sine Scamno vel subsellio humi,  
vel in pelle substrata, cruribus pedibusque flexis ad posteriora,  
idque in orbem sive circulum. „

§. 7.

Germanos nostrates quibuscum convenient nationes  
Europæae pene omnes, pastus tempore ordinarie consi-  
dere, et quidem non humili, neque pedibus suppositis clu-  
nibus, verum scamno vel alio cuidam rei sessili justæ al-  
titudinis ita insidendo, ut corporis truncus, sustentaculo  
etiam



etiam quodam suffultus, cum femoribus, et haecce porro cum crurum situ angulum fere forment rectum, vel ad rectum aliquatenus accendentem, pedum plantis scabello vel alii cuiquam rei insitentibus, quotidie cernere licet. Aliter tamen vivitur necessitate quadam imposta, a rusticis ruri, aliter domi. Sed et hic, domi scilicet suae diversitas quaedam observatur aliquando. Moris in primis est recepti passim, ut inter unius ejusdemque mensae convictores Paterfamilias, vel Eo, si majoris sit dignitatis, absente, *servus*, aut si alantur horum plures, servi (die Knechte) praefectorum speciem quandam referentes assideant, *servulis* (die Jungens) imo et ancillis quandoque, in signum subjectionis quantulae cunque circumstantibus mensam.

### §. 8.

Allata spectant proprietate die ordentlichen Mahlzeiten. Singulare autem quid sapere videtur quorundam Germaniae populorum, in vim quasi legis quae transiit consuetudo, juxta quam extra etiam ordinarium pastum, si liquidi quid obveniat hauriendum, v.g. haustulus Thé, Coffé, vini in primis adusti etc., *Sessio* requiritur ex more. Vigere illam apud incolas Bavariae, superioris Palatinatus, Sveviae, accepimus pro certo, imo et Norwegiae aliarumque quam plurimarum Svecici Danicique Regni Provinciarum. Vestigia ejusdem deprehendisse nobis videmur hic quoque locorum. Frequens enim obvenit hospitis potulenta amico offerentis alloquium come: Sie belieben sich zu sehen! Es ziehet Ihnen sonst in die Beine.

## §. 9.

Ex dictis haec tenus patescit

1) nullum facile *Situm* excogitatu esse possibilem, qui suos non inveniat amasios. Patescit

2) *Sessionem* in pastu, *Situm* esse antiquissimum juxta et communissimum hodienum;

3) necessarium plane illum videri quibusdam ratione in primis potulentorum.

## §. 10.

Coeterum *Situs* hujus varietas ad tres commode reducitur Classes, *Stationem*, quorsum obambulatio etiam suo referri potest modo, *Sessionem*, quo cunque illa fiat modo, et denique *Accubationem*.

## §. 11.

Varietatum harum singularum origines rationesque omnes atque singulas indagare ulterius et singulariter, nostri modo non est instituti. In propositis enim est potissimum, disquirere ex Principiis Physico-Medicis: Quisnam *Situs comedentium* et *bibentium sanitati*, quo referimus commoditatem quoque, propter resultantem inde artuum, hinc corporis totius refocillationem, conducat magis?

## §. 12.

In omni deglutitionis actu, *tria*, ut loquitur concinne Illustr. de HALLER (in Not. ad BOERHAVE Praelegt. Academ.) perficienda habet *Stadia*, quorum *Primum* est ciborum iter ad fauces; *Alterum* receptio in Pharyngem apertum; *Tertium* tandem Stadium est, ciborum



rum in Pharyngem receptorum descensus; Atque haec valent in genere, deglutiendum sive cibus sit sive potus, aut medicamentum aut alimentum, vel tandem solidum aut fluidum quocunque. Singulis idem iter ingredendum, ut adsumta cooperantibus organis multifariis, versus interiora, et vi tandem tunicae Oesophagi muscularis ad usque Ventriculum propellantur.

§. 13.

Habet vero integra haecce ab extremis oris ad stomachum usque pertingens via sive canalis, sensum satis acutum, a papillis nerveis derivandum; exquisitissimum autem *Cardia*, quippe praeter tunicam nerveam communem, singulari ac insigni nervorum Plexu praedita. Haec itaque a Diaphragmate, quod perforat Oesophagus, clausa ordinarie, cum ad trasmittenda in ventriculum ingesta aperiri debet, sensationem suam non potest non exserere, quod idem experitur *Ventriculus* non tantum ipse, sed *diaphragma* quoque, quo cum est connexa.

§. 14.

*Sensationem* porro hanc excipit et consequitur necessario *motus* et quidem illi semper proportionalis. Demonstrante Celebr. KRUGERO in seiner *Naturlehre* Part. II. Cap. IV. Nimurum nequaquam ab ingestis singulis aequabiliter afficitur sive irritatur iste Canalis, quamvis corpus nostrum alterandi vim in genere possideant omnia: Varia potius hic intercedere differentia observatur, ratione non tantum solidorum atque fluidorum qua sibi oppositorum, verum etiam pro uniuscujusque horum individuali et propria sua natura sive constitutione, quantitate atque qualitate, innumeris fere dixerim, modis diver-

B 3

sam

sam. Sic dura, mollia, scabra, glabra, friabilia, pulv-  
rulenta, oleosa, aquosa, spirituosa, insipida, acida, acria,  
amara, dulcia, austera, acerba, ac adstringentia et sic  
porro, in deglutitionis actu singula suo agunt modo.  
Dantur imo inter haecce, quae dispari prorsus modo,  
modo hoc, modo illud *Stadium* adficiant vel minus vel  
magis, quibus de singulis differere explicatim, specialem  
requirit, quam meretur, disquisitionem, alii tempori at-  
que occasione reservatam.

## §. 15.

Eodem, nec alio modo commune illud ingestorum ad  
concoquendum receptaculum, *Ventriculus* sese habet qua  
*figuram* conveniens cum utriculo pastorum lusorio, **der Schäfer-Pfeif oder Dudelsack**, inque orificia dispesei soli-  
tus, fundum atque corpus, et ex quinque suis constans  
membranis, quarum *musculosa* atque *nervea* proxime se  
invicem tangunt, eo quidem ordine, vt nervea sit inter-  
rior, crusta villosa quadam et porosa ad obtundendum  
saltem quodammodo, sive moderandum potius sensum  
nimis acutum, obducta; *musculosa* vero eam superius  
ambit, tunica tecta sic dicta post cellulofam, *membranosa*.  
Harum interior illa, cavitatique ventriculi proximior,  
*nervea*, sensititate ejus quoctunque modo irritata, alte-  
ram illam et superficiem spectantem, *musculosam*, ad ex-  
citandum motum mox incitat atque compellit, eumque  
sensationi nerveae proportionalem, non tantum qua mo-  
tus gradum, sed et figurae, directioni, contextuique fi-  
brarum constituentium conformem.

## §. 16.

## §. 16.

In diversum, qua fibrarum modo dictarum, figuram, directionem, atque contextum, Anatomicorum abire sententias non nescimus, neque ignorabunt, qui legerunt contuleruntque Willisium, Helvetium, Santorinum, aliosque veterum et recentiorum plures. Res est intricata adeo sane, ut et ipse Celebr. HEISTERVS, Anatomicorum nostri aevi clarissimum lumen, nihil certi et constantis determinare audeat. Ita enim in Comp. suo Anatomico Part. II, pag. 56. scribit "HELVETIVS vero longe alium fibrarum muscularium in ventriculo situm, cursum ac divisionem describit et delineat, quam ab aliis factum est. An vero semper ita se habeant, dubito: quia aliter eas vidi, atque adhuc ventriculos humanos flatu distentos atque siccatos aservo, in quibus alia ratione se ostendunt. Adeoque potius credo, variam in variis hominibus fibrarum harum esse constitutionem,,

## §. 17.

Sufficit interim hocce nobis loco hunc Virm Celeberrimum in allegato modo Compendio Part. I. p. 79. certas fibrarum directiones admisisse, verbis: "quaedam quasi circulares a parte superiori ad inferiorem descendunt: aliae in superiori ventriculi parte, inter utrumque orificium; aliae a sinistro latere ad dextrum oblique excurrunt, quaedam orifica ambiunt, omnes constructioni ejus famulantes.,, Quas iam in duas commode dispisci posse Classes indubium nobis videtur, ita scilicet, ut Prima harum illas sub se comprehendat, quae longitudinaliter a sinistro ventriculi orificio ad dextrum excurrunt, illa circumdant atque co-

coarctant et ad se in vicem, ventriculum quasi abbreviando, ducunt. Secunda autem obliquis ac spirali- bus illis, quae totam reliquam ventriculi substantiam, seu Saccum et corpus ejus in specie constringunt, absolvatur, de quo fibrarum carnearum in ventri- culo *situ, ordine ac contextu*, harumque officio KRÜ- GERUS in specie (*in seiner Natur Lehre*, Part. II. Cap. IV. conferendus.

## §. 18.

Descripta hoc modo ventriculi naturali figura aequa ac ejus struetura, in quantum ad praesens no- strum facit negotium, jam et de eius situ et conne- xione aliquid pro scopo admoneamus necessitatis erit. Connectitur nobile hocce viscus *superne*, et qui- dem in latere sinistro, cum diaphragmate, ita, ut *Cardia* altior semper sit *Pyloro*, hic *inferne* autem ex la- tere dextro totum intestinorum canalem secum ha- bet connexum ita, ut obliquo Situ Intestinis incum- bat ventriculus et cum sacco seu fundo suo *hypochondrion si- nistrum* et lien potissimum respiciat, perque sic dicta brevia vasa ab hoc viscere quasi irretitum tenea- tur. Praeter connexionem, quam *Cardia* seu ori- ficium ejus sinistrum cum diaphragmate habet cir- cumcirca, (§. 13.) adhuc per nervos suos specia- les, quos a pari vago mutuatur, huic pelli, quae etiam ex dicto nervorum pari nonnullos ramulos ac- cipit, connectitur. Amplexu porro Hepatis a latere gaudet dextro, et Tergum versus vasa attingit maiora.

## §. 19.

Non vero omnis plane immutationis, qua Situm et figuram expers ventriculus manet. Observandum potius censemus

1) pro



1. pro ingestorum, ventriculique contentorum, quorumcunque, ipsis non exceptis flatibus, et quantitatis et qualitatis varia ratione, ventriculum nunc coarctari et contrahi magis, nunc vero ampliari atque dilatari; consequenter figuram illius cum situ etiam quodammodo immutari, in latum id fiat, sive profundum, sive transversum. *Confer. de Haller pag. 249. Tom. I.*

- 2.) *Situm quoque corporis, sive solum et per se, sive una cum ingestis consideratum, situm variare posse ventriculi, eiusdemque figuram. Qualis diversitas*
- 3.) *Partes etiam connexas, imo et adjacentes ac conterminas, per approximationem, recessionem, tensionem, pressionem, adeoque vario modo, non potest non adficere et alterare.*

### §. 20

De diaphragmate denique, pelli ista tendineo musculosa, planum inclinatum dorsum versus referente, et thoracem ab abdomen distingueente, notandum adhuc nobis venit paucis: Praeter Oesophagum, sinistrorum illud perforante, dextrorum etiam transitum per idem invenire venam cavam; adnexum etiam esse sterno, speciatim cartilagini Xyphoideae, mediastino, costis item spuriis musculisque abdominis transversalibus qua partem et peripheriam suam anticam, qua posticam vero spinae dorsi, speciatim vertebris lumborum; Inservire illud inter alia, negotio respirationis, compressioni item abdominis ad augendum motum peristalticum; motum eius pro negotiorum diversitate nunc tendere sursum, nunc vero deorsum; quorum uterque in statu praeter-

C

natu-

naturali in excessu peccare potest ac defectu, ac quorum utrumque partes connexae persentificant, consequenter ut in casibus similibus, proportionabiles motus in iisdem ut excitentur, opportere.

## §. 21.

Principiis his praemissis, quinam edentium bitemumque situs, reliquis tanquam convenientissimus conducat magis? facilius erit iudicatu. Dispescuimus supra §. 10. ejus varietates in tres has classes, *Stationem*, *Sessionem*, *Accubationem*, de singulis nunc dicturi seorsim.

## §. 22.

Quod itaque ad *Stationem*, quam ex usu fuisse tollertiae forte et vigilantiae demonstrandae causa, militibus Romanis observatum est §. 3., ut et hodie ruricolarum nostratrum familij parti in reverentiae signum (§. 7.); varia illa secum fert incommoda, qua subiecta in primis sensibiliora, situque huic non adsueta, iam a nobis demonstranda.

## §. 23.

In *statu* enim *corporis* totius *erecto*, musculos abdominis, lumborum atque pedum, aequa ac illos, qui circa pectus, scapulas et dorsum siti sunt, ad constituendum conservandumque huncce statum, *laborare* atque *tendi* opportet in universum. Qua actione, si præfertim in isto statu perseveretur diu, non possunt non defatigari.

## §. 24.

*Pectus* porro in hoc Situ a musculis suis elevandum, *diaphragma*, sterno vel cartilagini potius ensiformi annexum, secum trahit sursum valde, atque tendendo illud



Iud attollit ; cum tamen deglutitio laxatum requirat serum , indeque eo peragatur temporis momento , quod inspirationem exspirationemque intercedit.

§. 25.

Haec dum geruntur , *Oesophagus* , Septi huius transversi partem carneam sive musculosam permeans eidemque accretum ( §. 13.) qua diametrum suum simul comprimitur atque coarctatur praeternaturaliter , et hinc quoque descensus ingerendorum ad cardiam evadit difficultior , minus nunc , nunc vero magis , pro ingerendorum qualitate et quantitate diversa ( §. 14.)

§. 26.

Accidit eodem tempore haec *caardatio* maior , *cardiae* quoque , sive finistri ventriculi orificio ipsi et speciatim ; ob nervorum multitudinem sensibili valde ( §. 13.) Oesophago itaque , cuius opera cardia ordinarie iam a diaphragmate clausa , ad transmittenda per orificium istud ad ventriculum ingesta , referari solet . ( §. 12. 13.) plus negotii in tali situ faceffimus ; dum ob extraordinariam ostii coarctionem et occlusionem ordinaria etiam maior et validior eius vis conatusque ad referandum detrudendumque requiritur.

§. 27.

*Sinistrum* hoc ventriculi orificium , per quod aperatum , via patens est in ventriculum ipsum , altius quidem iam aliquatenus est naturaliter , altero illo atque dextro , Pylorus dicto , quo referato exitus conceditur in intestinorum canalem . In Situ ast corporis integri eredo atque perpendiculari , vi diaphragmatis , quo cum cohæ-

C 2

cohaeret, sursum versus trahentis magis, a linea regulare deflectens haud parum, altiore longe adfectat, et occupat locum, elevans sic simul secum sifistrum, cui est insertum, ventriculi partem, quam *Saccum* adpellamus.

## §. 28.

Ingesta itaque, quae in hac sinistra, eaque profundiori ac latiori ventriculi parte, per tempus iustum commorari opportebat, nunc cruda adhuc et indigesta, Pyloro depresso multo situm sic nanciscenti, adpropinquat mox et adlabuntur. Hic vero ianitor functionis suae (ut ita loqui liceat) bene memor, transitum importune pulsantibus his subnexorum intestinorum hospitibus futuris denegans, mox ianuam arctissime claudit, debitamque eorundem per digestionem ad transeundum praeparationem expectans prius, ab eorundem coeterum adpropinquatione intempestiva non parum irritatus et motum sensationi (§. 14.) exerens proportionalem.

## §. 29.

In *Stationis Situ* ventriculus trahitur sursum, altiore remque adfectat et ex parte nanciscitur Situm atque locum (per demonstrata §§ 27. 28.). Idem vero cibo potuque repletus magis magisque atque oneratus, pro receptorum contentorumque mole, tendere non potest non deorsum. Ex qua, e diametro sibi opposita tensione, sursum deorsumque, orificiorum constrictio ad Flatum usque praeclusionem augeri potest. Conferatur hic proxime praecedens §. 28.

## §. 30.



## §. 30.

Aegre denique hunc Situm, aliquamdiu praeſertim continuatum, ferunt pedes, quippe quorum musculi per integrum illum temporis tractum, in valida perſeverare coguntur tensione, quorumque planta, integri corporis molem sustinere coacta, ad sufflaminationem usque circulationis humorum comprimitur. Atque huic perceptioni sensus tam moleſti originem forte debet. Germanorum illud: *Man müſſe ſich ſezgen, es ziehe (oder gehe) ſonſt in die Beine.* (§. 8.)

## §. 31.

Patere nunc existimamus abunde, tantum abesse, ut *Statio* pro optimo ac convenientissimo edentium birebentiumque Situ haberi queat medice, ut potius omnium pessimus ac inconvenientissimus sit centendus; id quod ex collatione Situum reliquorum adhuc magis fiet manifestum.

## §. 32.

In *Sessione* sane cum stationis actu collata, omnia sunt pacatoria, litatque haec et sanitati et commoditati (§. 11.) magis, omni omnino modo; Quibus pensitatis adeo non miramur, antiquissimi eam esse, iuxta ac receptissimi hodienum, moris (§. 9.) cum vel ipſe sensus gratus et refocillatorius eam commendet.

## §. 33.

Nulla etenim in hocce ſitu tensio muscularum quorumcunque percipitur moleſta; laxatum manet ſpecia-  
tim ſeptum transverſum, nec coarctatur Oesophagi dia-  
meter, ſed dilatationi potius adaptatur: minus reſiftit  
C 3 car-

cardia conatui illius eandem clausam aperiendi; non haec praeternaturaliter attollitur in altum; Ingesta et a ventriculo excepta debitum illic occupant locum; non ita et consequenter praecluditur flatibus exitus per orificium etiam inferius, Plylorum sive; pedes denique eorumdemque plantae nihil incommodi patiuntur. Verbo, omnia hic cessant incommoda, Stationem concomitanta et delineata (§. §. 23. ad usque §. 30. inclusive.)

## §. 34.

Cum vero Sessio non uno fiat modo, eum nos in hac situum collatione respexisse speciatim, notari oportet, qui viget inter nostrates, scamno, iustae altitudinis, tibiarum circiter adaequanti, insidentes, et quem descriptum dedimus §. 7. Quadrare interim videntur omnia ad Turcarum et consimilem aliorum etiam considerandi modum, decussatim scilicet, pedibus divaricatis et inter se complicatis, (ad Sessionem enim situ illis receptum referimus merito) bene satis, qua respirationis, deglutitionis, incipientisque digestionis negotium atque organa, primario hic respicienda. Pedes sed in illo non pari gaudent commoditate; ad conservandum corporis tuncum in situ erecto, ob sedem clunium depressam et declivem, retrorsum tendentem, musculi dorsales in primis laborant magis; difficilior fit et assidendi et assurgendi actus. Sessionis, quae fit in plano quodam cum pedum exprorectione sive aliquali sive perfecta, vel sani spectentur vel aegroti lecto adfixi, commoda et incommoda facile iam patescunt.

## §. 35.

*Accubatio*, in ventrem si decumbamus proni (§. 5.) plus secum fert incommodi, quam commodi, quamquam appa-

apparentis, et praeferebundus in hocce situ multum est decubitus cum inclinatione in latus sinistrum, accum bentibus olim ordinarie, ni fallor, receptus. Demonstratio ex principiis praemisis eruitur haud difficulter, vel ex §. 28. Manet interim nobis usitatus iassedendi in pastu Situs optimus ac convenientissimus, sive qua janitatem et commoditatem (§. II.) consideretur, sive et iam, ut et hoc addamus, qua decorum.

*restat quaestio specialis in dissertationis rubro notata: An bibere stando, an conducat magis sedendo?*

Occasionem illi praebuit praecipue quorundam Germaniae, Moscoviae, Norvegiae, Sueciae, Daniae incolarum, nobis observata partim, partim pro certo relata, singularis, in vim quae iam transiit quasi legis inviolandae, consuetudo, iuxta quam extra etiam ordinarium pastum bibere oportet sedendo, imo vel ob hauriendum haustulum etiam unicum assidere, (§. 8.) in primis tamen, si potus sit spirituofus.

*Assumenda sive solida sint sive fluida, sive alimenta sive medicamenta omnibus eadem ingredienda, in actu deglutitionis est ad ventriculum via sive canalis (§. 12.) qui ob nervorum copiam qua integrum Oesophagi tractum sensibilis est valde (§. 13.) adeoque adficitur et irritatur ab ingerendo et deglutiendo quovis (§. 14.) ad contrahendi motum; non tamen a singulis aequabiliter, sed pro varia eorundem in primis quantitate atque qualitate, quae varia esse iterum potest in eodem genere assumendorum v. g. liquidorum sive potulentorum, (§. cit.)*

*In genere itaque cum iam sit demonstratum (§. §. 32. 33.) Sessionem edentium bibentiumque optimum esse Situm, demon-*

mon.

monstrationis que huius momenta quam plurima ad haustulum etiam quadrent et applicari possint unicum; in specie saltem de potu adhuc notamus *Spirituoso* (ein Schluck Brantewein oder aquavit) in quo hauriendo in primis tenaciter tenere consendi situm, nationes memoratas, observatum est §. 8. et 36. Eum canalem dictum eminentiori quodam adficere gradu, tam ratione elementi, quod continet, sulphurei et inflammabilis, quam salino acidi quoque, eidem in primis spiritui vini non omnino denegandi, quamvis contrarium placuerit quibusdam.

§. 39.

Testis est ardor *faucum*, quem persentiscunt haurientes omnes, maxime autem non adsueti, et quo minus phlegmatis spirituosa haecce secum vehunt. Constringi contingit aliquando *pharingem* in tantum, ut transitum spiritui ore iam detento denegans plane vel difficilem saltem reddente valde, quaedam eius pars regurgitet in *Laryngem*, (in den unrechten Hals, ut loqui solemus) non sine praesentissimo respiracionis organorum damno, imo saepe ad suffocationis usque periculum.

§. 40.

Stadium hoc quamvis emetientes quandoque et in adsuetis absque incommodo notabili potulenta spirituosa; *Oesophagum* quem perlabi eos oportet, porro in stationis situ inveniunt qua diametrum suum coarctatum, (§. 25.) qui idem pro horum irritatione adhuc crispatur magis. Ad *cardiam* denique delata, et descensum adfectantia in ventriculum ipsum, illam reperiunt in hocce situ clausam, quae porro ob plexum nervorum singularem sensibilior adhuc (§. 13.) mox clauditur arctius, *Oesophago*, cuius vi ingesta omnia in ventriculum sunt propellenda (§. 12.) plus sic facestans, negotii; et quae sunt incommoda reliqua ex deglutitionis spirituorum in situ stationis, difficultate derivanda. Atque ita huic quoque Quaestioni factum.

## S A T I S.











## §. 30.

nique hunc Situm, aliquamdiu praeferunt pedes, quippe quorum musculi illum temporis tractum, in valida perfur tensione, quorumque planta, integriem sustinere coacta, ad sufflaminationem stationis humorum comprimitur. Atque non sensus tam molesti originem forte dolorum illud: *Man müsse sich setzen, es ziehe ist in die Beine.* (§. 8.)

## §. 31.

Inc existimamus abunde, tantum abesse, optimo ac convenientissimo edentium bititu haberi queat medice, ut potius omnium convenientissimus sit contendus; id quod tituum reliquorum adhuc magis fiet ma-

## §. 32.

sane cum stationis actu collata, omnia, litatque haec et sanitati et commoditati, omni omnino modo; Quibus pensitatis sumur, antiquissimi eam esse, iuxta ac rei enum, moris (§. 9.) cum vel ipse sensus illatorius eam commendet.

## §. 33.

enim in hocce situ tensio muscularum quo- recipitur molesta; laxatum manet specia- nsversum, nec coarctatur Oesophagi dia- latationi potius adaptatur: minus resistit

C 3

car-

